

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

De conversione sev ivstificatione hominis coram Deo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

(ut uocant) iusticia mea, ut sic me liberem & expeditam ab intuitu legis & operum: imò ab intuitu obiecti, nimirum Christi, qui uel doctor uel donator intelligitur. Sed uolo mihi ipsum esse donum & doctrinam per se, ut omnia in ipso habeam: sicut Iohannes dicit, Ego sum uia, ueritas, & uita. Non dicit, Ego do tibi uiam, ueritatem, & uitam: quasi extra me positus, operetur in me talia: in me debet esse, manere, uiuere, loqui mecum. Item ad Corinthios: Ut essemus iusticia Dei in illo. Non enim id in dilectione aut donis sequentibus fit.

DE CONVERSIONE SEV IV-  
stificatione hominis coram Deo.

I, 105.  
Responsio ecclie  
& Academiæ  
Vimborge  
de cōtrouersia

De cōtrouersia Matthiæ Lauter-  
ualdt, Elbingensis Prut-  
teni.

Ita iudicauimus de cōtrouersia Epiriensi, ut non defugiamus iudicia omnium piorum in omnibus Ecclesijs instauratis in tota Germania, Pannonia, & Dania: & speramus Matthiam ita memorum esse beneuolentiæ nostræ erga ipsum, ut ne ipse quidem queri possit, odio nos moueri in hac dijudicatione. Si dicet nos nimium amare nostram scripta, aut hebetiores esse quam ut subtilitates suas intelligamus: permittimus hanc nostram responsionem etiam aliarum Ecclesiarum iudicijs, ut antea diximus. Cer-  
tè

tē uult Deus aliqua esse Ecclesiæ iudicia, & ser-  
 uat aliquos doctrine testes. Primum autem filium  
 Dei, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM  
 oro, qui in agone utrunq; petiuit, & ut sanctificet  
 eternus Pater Ecclesiā ueritate sua, & ut faciat ut  
 unū simus in ipso: ut & nostra iudicia regat, & ste-  
 rat nostra pectora, & Matthiam ad piā concor-  
 diam. Ac scit Matthias, sepe nos ualde orasse i-  
 psum, ut se ad consensum Ecclesiarum in Pannonia  
 adiūgeret. Sed natura est nimis amans argutiarum,  
 eo plus periculi est iudicantibus: quia homines ar-  
 guti sine fine petunt disputationum prestigias. Sed  
 simplici & candido animo & piē respōdemus, pro-  
 bare nos sententiam Barthenis ecclesiæ, quæ re-  
 tinet natiuum intellectum propositionis, Fide iustifi-  
 camur: sicut tota Prophetica & Apostolica scriptu-  
 ra affirmat, sola misericordia propter Mediatorem  
 nos recipi, reconciliari, & uiuificari Spiritu sancto  
 uerè credentes, id est, fiducia filij sese consolantes.  
 sicut Paulus inquit: iustificati fide pacem habemus.  
 Esi autem hæc fides seu fiducia non est in his qui  
 secure perseverant in sceleribus, & sunt sine contri-  
 tione: tamen contritio & noua obedientia non sunt  
 res applicantes, ut dicit Matthias. & satis commo-  
 dè respondit Radaschimus, contritionem esse quid-  
 dam necessariò antecedens. Cumq; interrogat  
 Matthias, utrum antecedit ut causa, an ut medium?

f 3 Respon-



Respondemus, nequaquã antecedere cõtritionem, ut causam remissionis seu meritum, nec ut medium applicans remissionem: sed sicut uulnus, aut uulneris sensus antecedit curationẽ. Totum genus humanum est horrendæ iræ Dei, & sensu iudicij diuini per ministerium uocis diuinæ arguitur de peccato per pœnas, & aliàs aliter commonefit. In his terroribus multi pereunt irascentes Deo, aut Epicureo contemptu magis ruentes contra Deum. Alij non repugnantes Deo, sed quærentes consolationem in uoce Euangelij, accipiunt remissionẽ peccatorum, reconciliationem ac iustificationẽ & uiuificationem per Spiritum sanctum. ac fit apprehensio promissionis & applicatio sola fide, id est, fiducia mediatoris, non propter contritionẽ, neq; propter sequentes uirtutes: sed nititur fides solo Mediatore, seu misericordia propter Mediatorẽ promissa: & acquiescit cor, quia scit promissionem ratam esse propter Mediatorem. Hanc esse doctrinam simplicem & incorruptam, & traditam in Prophetis & Apostolicis scriptis, manifestum est, ut in Psalmo dicitur: Saluum me fac propter misericordiam tuã. Et Daniel inquit: Non in iusticia nostra, sed in misericordia tua propter Dominum exaudi nos. Et Paulus inquit: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Hæc ut intelligantur, non ociosas speculationes, sed ueros pauores, & ueram cõsolationem

87  
tionem in cōuersione, & in quotidiana inuocatio-  
ne consideremus. Docemus non inanes λεπτολο-  
γίας: sed uocem diuinam & res in uita maximè ne-  
cessarias, & quæ à pijs intelligi possunt. Dicimus  
uoce diuina argui peccatum, & omnes homines de-  
bere expauescere agnitione iræ Dei, & expauescē-  
tes fide ad Mediatorem cōfugere. Eaq; fide gratis,  
non propter antecedentia aut sequentia opera, ac-  
cipi remissionem peccatorum, reconciliationem &  
iustificationem, ac uiuificari per filium Dei, dicen-  
tem consolationem in corde, ac liberantem cor ex  
doloribus inferorum, dato Spiritu sancto, atque ita  
inchoari nouam obedientiam. Hæc sic fieri in ue-  
ra cōuersione omnes pij experiuntur. Nunquam  
dicit Dauid, se habere remissionē propter sua bo-  
na opera in præsentia facta partialiter aut totaliter.  
Remoueamus has corruptelas, nec sinamus ueram  
consolationem pijs mentibus eripi: in ueris dolori-  
bus experiemur nullam esse firmam consolationem  
nisi hanc, de qua Paulus inquit: Ideo ex fide gratis,  
ut sit firma promissio. Quia igitur Matthias  
damnat doctrinam Ecclesiæ nostræ, & contendit  
non sola fide, sed contritione & alijs bonis fieri ap-  
plicationem remissionis peccatorum, & iustifica-  
tionis: iudicamus eum docere corruptelas ueræ do-  
ctrinæ. Neq; re ipsa differt hæc corruptela à sy-  
necdoche monachorum, qui dixerunt: Fide iustifi-

f 4 canur,



camur, quia inchoat dilectionem atq; alia bona opera. Verbum seu promissio sola fide apprehenditur. Nam hac re differunt fides & cetera bona opera, quod fides apprehendit promissionem, & accipit non ut meritum: cetera uero opera Deo aliquid offerunt. nec applicatio per opera alia intelligi potest, nisi ratione meriti. Nomen igitur meriti abijcit Matthias, rem retinet, & sibi blanditur suis ociosis speculationibus. Quod autem clamat, toti penitentiae promitti gratiam: id si ita intelligit, ut non seruet distinctionem partium, & suam cuiusq; proprietatem, non recipimus ipsius dictum. Contritioni promittitur ut uulneri curatio, deinde fit applicatio remedij: & nullo modo potest dici, quod propter sequentia opera datur remissio. Etiam cum sic dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos: tamē partibus suae proprietates tribuendae sunt.

Veterem, inquiet, cantilenam repetitis. Verum est, nos eandem sententiam repetere: quia haec unica sententia in hac questione est. Et existimamus totam causam alibi saepe & perspicue declaratam esse non à nobis tantum, sed etiam ab alijs, qui hoc ipso quadriennio resutarunt Interim. Cognouimus autem ex eius dissertatione plenius, dissentire eum à toto genere doctrinae. Fidem intelligit de noticia historiae & legis. Deinde addit, fidem posse esse sine dilectione: dicit falso nos docere, has propositiones

tiones æquipollentes esse, Sola gratia iustificamur  
 & Sola fide iustificamur. aliter igitur intelligit gra-  
 tiam quam nos. Cùm igitur iudicemus Matthiam  
 corruptelas ueræ doctrine in illa sua disputatione  
 proponere : hac nostra cõmonefactione hortamur  
 eum, ne se à consensu piè doctentiũ in Ecclesijs Ger-  
 manicis & Pannonicis disiungat. Ac si hoc nostro  
 iudicio non est contentus, placet nobis ipsius dispu-  
 tationem & alia istic scripta & hanc nostram re-  
 sponsonẽ mitti ad plures Ecclesias instauratas. Ni-  
 hil in hac tota re fit à nobis priuato affectu ullo.  
 Scit ipse Matthias, fuisse nobis dulcem cum eo ami-  
 citiã, quam nunc distrabi dolemus: sed magis dole-  
 mus Ecclesias turbari. Audimus etiam eum contu-  
 meliose loqui de propositione usitata, Sola fide iu-  
 stificamur: & nuncupari eam ab ipso cloacam An-  
 tichristi. Extant nostræ declarationes, ideo nunc  
 breuius respondemus. Sed si nec nostro iudicio, nec  
 aliarum Ecclesiarũ sententijs stecti uellet ad commu-  
 nem consensum, hortamur senatũ Epperiensem, ut  
 eum à ministerio Euãgelico remoueat. Anno 1554.

DE PROPOSITIONE,

An bona opera sint necessaria.

Reuerẽdo uiro, D. Georgio Buchholzer,  
 pastori Ecclesiæ Dei in oppido Ar-  
 ctõa, fratri suo charissimo,

S D. Reuerende uir, & charissime frater : Mit  
 f 5 to